



Per.
Lat
020

LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Ad anniversarium diem decimum principatus Gubernatoris Summae Dignitatis Regni Hungariae.

Post bellum omnium gentium tempora Hungariae nubila erant. Hungaria mutilata, res gentis nostrae futurae caligine¹ involutae¹ erant, neque ulla spes salutis supererat, nisi firma fiducia, quam in iustitiā Dei reposuimus.

In hoc rerum discri-
mine apparuit vir firmo-
pectore praestans² et
resona³ voce noctis Hun-
gariae silentia rupit. Vir
ille clarissimus aman-
tes patriae circa se con-
gregavit, milites conscripsit et nationem ex
immanitatibus⁴ viro-
rum, qui omnia com-
munia esse voluerunt,
exemit.⁵ Pro talibus mer-
itis est oblatus princi-
patus Salvatori Regni
Hungariae Calendis
Martiis anno 1920.

Ex eo tempore iam
decem anni⁶ seriesque
immensalaborum⁶ lapsa-
sunt. Temporum acer-

bitas paulatim mitigata in melius est versa
et nunc omnia ostendunt, quam optime
natio sortis suae rectorem elegerit!

Anniversarium celebrantes diem ora-
mus atque obsecramus Deum, ut, quod
iam dudum omnes ave-
mus⁷ vehementissime-
que exoptamus:⁷ inte-
gram nobis reddat Hun-
gariam iuvetque Salva-
torem Regni Hungariae,
ut onera, quae suscepit
et ad hoc tempus virili-
ter perfecit, etiam in
posterum ita ferre pos-
sit, ut Hungariam ma-
gnam atque beatam quo
prius videamus. Even-
iant⁸ Ei omnia ad
maiorem Hungariae
gloriam fauste ac felici-
ter!...



¹ homályba burkolt ² hős-
lelkű ³ visszhangzó szavá-
val ⁴ szörnyűség, borzalom
⁵ kiemelte ⁶ tíz küzdelmes
év ⁷ óhajtva óhajtunk ⁸ si-
kerüljön.



De Maecenate.

(Ex libello Beulé: «Familia Augusti et aetas eius.»)

Eis, qui imperium orbis terrarum Augusti fundaverant, annumerandus est vir, suasor¹ et procurator² publicus³ Octaviani: Maeceenas, qui primas partes agebat in eo foedere, cuius caput Livia erat. Experiemur huius viri imaginem breviter et minus severe expondere, quia in tam acceptum atque gratum virum, quem poetae summis laudibus prosecuti sunt et cuius nomine patroni scientiarum omni tempore appellabantur et nunc quoque appellantur, omnem severitatem adhibere res haud facilis est.

Origine Maecenas non erat Romanus. Pater linguaā Tuscorum «Felne» nominabatur, Latine: Cilnius, quod praenomen Maeценatis erat. Mater ex familia «Mecne» orta est, inde sumpsit nomen filius. More enim Tuscorum Maecenas nomen de matre suscepit, qui mos epitaphiis Tuscis demonstrari potest.

Natu Maecenas maior erat, quam Augustus; quo anno sit natus, nescimus, sed haud dubium est annorum quinquaginta quinque fuisse Augustum, cum Maecenas senex in-

firmus obiret. Ne id quidem certum est, qui casus⁴ ac rationes⁵ eos contulerint.⁶ Maeceenas eques Romanus probabiliter per divitias ingentes auctoritatem aliquam apud Octavianum assecutus est. Acris ingenii, sane «emunctae naris»⁷ vir erat Maecenas et, cum primo ei in historia occurrimus,⁸ intellegimus, quantopere se ipsum cum sorte Octaviani contextere⁹ potuerit, non ut militem — etsi pugna Actiaca fortem se praestitit, — sed ut suarem. Octavium matrimonio cum prole quadam Pompei ille coniunxit, eo tempore scilicet, quo foedus inter Antonium et Pompeium Sextum in primo ortu¹⁰ erat, quod si ad effectum adductum esset, ruinam Octavii nihil prohibuisset. Itaque Octavius per Maecenatem sibi cognatam Pompei, Scriboniam uxorem poposcit: hoc modo impedivit, quominus eorum foedus componeretur.⁹

Perarduum suscepit Maecenas negotium, cum Octaviano, ad bellum imparatissimo omnibusque rebus egenti Antonius fuit reconciliandus.¹⁰ Anxius profectus est Maecenas

¹ tanácsadó ² politikai megbizott ³ miként hozták öket össze az események ⁴ okos, jóizlésű ⁵ találkozik ⁶ sorsához kötni ⁷ keletkezőben ⁸ rokon ⁹ megalakul ¹⁰ kibékít.



LECTORIBUS MINIMIS.

Equus murinus.¹

Erat aliquando homo pauper. Hic homo pauper nihil omnino² habebat, nisi equum murinum. Cottidie cum equo ibat in pistrinum,³ ut moleret;⁴ ita vitam⁵ in dies trahebat.⁶ Olim equus murinus solitudinem⁶ perosus⁷ dixit hero:

— Domine, compara⁸ mihi socium, nam alioquin spiritus⁹ me deficiet.¹⁰

— O eque murine — ait homo pauper — unde ego socium tibi comparem, cum nullum assem¹¹ habeam?

— Si nihil habes, — inquit equus murinus — dimitte¹² me: iam ego socium mihi conciliabo.¹³

Pauper assentitur. Equus murinus proficiscitur. Multas terras peragraverat et tam diu ambulabat, dum in vasta¹⁴ silva ad specum¹⁵ vulpis¹⁵ pervenit. Ibi decumbit ante specum et claudit oculos, tamquam mortuus.

In specu vulpes anus¹⁶ cum tribus catulis¹⁷ habitabat. Anus dicit minimo catulo:

— I, mi fili, foras, affer mihi aliquid.

Vulpecula proficiscitur, sed a foramine¹⁸ redit et dicit matri:

— Hei,¹⁹ mater, exiri non potest, quia nix foramen opplevit.²⁰

— Quid garris,²¹ stulte? — ait anus — nam aestas calida est.

— Si non credis, mater, tu ipsa aspice!

— I — ait vulpes medio filio — aspice, num recte²² putet²² frater tuus.

¹ szürke ² a világban ³ szárazmalom ⁴ őröl
⁵ élelget ⁶ egyedüllét ⁷ megúnya ⁸ kerít ⁹ szusz
¹⁰ kifogy ¹¹ garas ¹² elereszt ¹³ kerít ¹⁴ rengeteg
¹⁵ rókalyuk ¹⁶ anyó ¹⁷ kölyök ¹⁸ lyuk ¹⁹ jaj
²⁰ befű ²¹ beszél ²² igaza van.

Brundisium, ubi Antonius morabatur, secum ferens poetas: Horatium, Vergilium, minusque notum Domitium Marsum. Antonius, qui tali iucundissima societate frui diu desiderabat, gaudio elatus, quae suis rationibus¹¹ prodessent, plane oblitus est: Maecenas munere iterum feliciter functus est. Triumvir blanditiis¹² deceptus in Orientem remissus est, ipsi autem quieti tempus expectare poterant, quo Antonium perderent.

Post pugnam ad Actium Maecenatem Romae invenimus summa potestate fruentem, qui Romae et Italiae imperat, dum Octavianus in Oriente moratur. Ei subsidio Livia erat, tantum veterani Caesaris stomachabantur¹³ et requirebant,¹⁴ ut promissa¹⁵ pignora¹⁵ verborum¹⁶ implerentur. Militibus opponitur Agrippa, qui maxime intellexit, quibus rationibus eos coerceret.

Cum Agrippa Romae munus adisset,¹⁶ Maecenas ad Octavium profectus est et cum eo in Aegyptum. Dominatu ab iis condito, paulatim hostes evanescebant nihilque conditoribus obstabat, quin pace ac potestate fruerentur.

(Ad numerum proximum.)

11 érdek 12 hizelgés 13 haragszik 14 kíván 15 igéret 16 hivatalát elfoglalja.

Abit medius catulus, sed statim revertitur.

— Recete sane,²³ matrcula, putavit frater meus. Tanta nix est ante domum, ut exiri non possit.

Vulpes anus mittit catulum maximum, ut rem aspiciat. Sed is quoque itidem²⁴ revertitur: sive sit aestas sive non sit, magnam esse nivem.

— Agedum, ego ipsa rem aspiciam — ait vulpes-anus.

Cum ad foramen venisset, non nivem, sed equum murinum reperit. Equus abstrahendus erat, ut exire possent. Vocat tres catulos, equum apprehendunt, trahunt, velunt,²⁵ sed abstrahere non possunt. At vulpes anus aegerrime trudit se²⁶ ex foramine et ad lupum currit.

— Heus,²⁷ carissime frater,²⁸ veni ad nos: mortuus equus est ante domum nostram. Aufer eum, tibi dabo.

Lupus accurrit laetus. Equum abstrahere conantur, sed non possunt.

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Ex C. Plinii Secundi

historiarum mundi libro VII-o, caput XXXI.

*Qui fuerint sapientissimi. /II./**

Sed et nostrorum gloriam percenseamus.¹

Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulero suo imponi iussit: clarumque illud nomen,² immo vero spolium ex tertia orbis parte raptum, in cinere supremo cum poetae titulo legi.

Divus Augustus carmina Vergilii cremari contra testamenti eius verecundiam³ vetuit: maiusque ita vati testimonium⁴ contigit, quam si ipse sua probavisset.⁵

M. Varronis in bibliotheca, quae prima in orbe ab Asinio Polione ex manubiis publicata⁶ Romae est, unius viventis posita

* Confer numerum 3. ¹ tartunk szemlét ² hogy majdan neve, melyet egy világész neve tesz dicsővé, végző hamvain ³ bár ő szerénységből ezt kívánta végrendeletében ⁴ elismerés ⁵ nyilvánította volna tetszséét ⁶ a zsákmányból állittatott fel közhaszánálatra (az első «nemzeti könyvtár»).

— Hei, hei! — ait lupus — quomodo hunc abstrahamus, soror vulpes?

— Iam scio — inquit vulpes: — tuam caudam ad equi caudam alligabo.

— Optime — ait lupus.

Vulpes caudas lupi et equi fortissime²⁹ colligat. Lupus equum trahere incipit, sed mouere non potest.

Tum equus murinus repente subsilit³⁰ et lupum per montes, valles, silvas, campos trahens ad domum currit.

— Here, tuli socium.

Pauper homo laetitia³¹ affectus³¹ fuste³² lupum percutit,³³ pellem detrahit, vendit, pretio socium emit equo murino.

Postea melius negotium gerebatur.³⁴

Nisi equus murinus socium sibi paravisset, mea quoque fabula longior esset. V. Fehér

²³ csakugyan ²⁴ hasonlóképen ²⁵ cibál ²⁶ kibúvik ²⁷ hej ²⁸ lelkem komám ²⁹ jó erősen ³⁰ felugrik ³¹ megörülve ³² bunkóshot ³³ agyonver ³⁴ megy a dolog.

imago est: haud minore (ut equidem reor) gloria, principe oratore et cive, ex illa ingeniorum, quae tunc fuit multitudine, uni hanc coronam dante, quam cum eidem magnus Pompeius piratico ex bello navalem dedit.⁷ Innumerabilia deinde sunt exempla Romana, si persequi libeat:⁸ cum plures una gens in quocumque genere eximios tulerit,⁹ quam ceterae terrae.

Sed et quo te, M. Tulli, piaculo taceam? ¹⁰
quove maxime excellentem insigni praedi-
cem? ¹¹ quo potius, quam universi populi
illius gentis amplissimo testimonio ¹² et e-
tota vita tua consulatus tantum operibus
electis? Te dicente, legem agrariam, hoc est,
alimenta sua abdicaverunt tribus; te suau-
dente, Roscio theatralis auctori legis igno-
verunt, ¹³ notatasque se discriminare sedis
aequo animo tulerunt, ¹⁴ te orante, proscrip-
torum liberos honores petere puduit; tuum
Catilina fugit ingenium; tu M. Antonium
proscripti. Salve, primus omnium parens
patriae appellate, primus in toga triumphum
linguaeque lauream merite, et facundiae
Latiarumque litterarum ¹⁵ parens, atque (ut
dictator Caesar, hostis quondam tuus de-
te scripsit) omnium triumphorum lauream
adepte maiorem, quanto plus est ingenii
Romani terminos ¹⁶ in tantum promovisse,
quam imperii.

7 M. Varronak tehát az a dicsőség jutott osztály-
részül, hogy képmását még életében helyezték el az
Asin. Pollio megalapította könyvtárban. A kiváló kor-
társak sokaságában öt találta erre a kitüntetésre érde-
mesnek a princeps orator és civis: Asin. Pollio. (Barátja
volt ugyanis Pollio Caesarnak, Antoniusnak és Augu-
stusnak.) De ugyanilyen dicsősége Varronak, hogy Pom-
peiusnak a kalózok elleni háborújában hősies maga-
tartásával kiérdemelte a fővezér corona navalisát
8 ha minden példát felsorakoztathatnék 9 a minden
erényben kitűnő férfiakból többet szült. 10 milyen
engesztelő áldozatot kellene hoznom bűnömért, ha
téged elhallgatnálak? 11 jeles tulajdonságod miatt
magasztaljalak? 12 legnagyszerűbb tanuságtételével
13 megbocsátott 14 megnyugvással fogadta 15 a la-
tiumi műveltség 16 határoszlopait.

Timor domini principium sapientiae.

Animus gaudens aetatem floridam facit,
spiritus tristia exsiccat ossa.

NATURALIA

Rarissimum est, ut in vivario¹ elephanti captivi pariant. Quod tamen accidit in vivario Budapestinensi, ubi mense Ianuario anni currentis elephantulus² natus est. Sed mater malevolentissima³ erat. Parvulum enim subito post partum⁴ manu⁵ huc et illuc vellere,⁶ mox pedibus ferire⁷ coepit, donec caput quoque conculcavit.⁸ Custodes sine discriminione vitae animal furcens coercere non potuerunt.

Cadaver elephantuli farciendi,⁹ postea vero proponendi¹⁰ causā museo nationali traditum est.

His temporibus saepissime legimus in diurnis¹¹ de morbo periculoso, qui per psittacos¹² divulgatur. Qua occasione nos quoque aliquid de his avibus vobis narrabimus.

Psittacus iam aetate antiqua avis sapientissima putabatur propterea, quod voces humanas imitari potuit. Veteres scriptores tradunt Caesarem Augustum, cum Romam triumphans ingrederetur, in viis a mille psittacis, qui assidue: «Io Caesar Auguste!» clamitarent, esse salutatum.

Clarissimus erat psittacus Henrici VII., regis Britanniae, de quo etiam poeta Britannus, *Goldsmith*, carmen pulchrum scripsit. Garrulus¹³ in fenestra regiae, quae ad Thamesin¹⁴ spectabat, sedere solebat. Interea a nautis et viatoribus in ripa fluvii ambulantibus voces multas didicit. Olim versicolor¹⁵ in flumen incidit. Volucris de salute sua non desperavit,¹⁶ sed voces saepius auditas: «Lintrem,¹⁷ cito lintrem! Decem nummos dabo!» clamitare coepit. Nauta quidam eiulationem¹⁸ audivit et hominem quendam in extremo¹⁹ periculo¹⁹ esse arbitratus est. Eo magis mirabatur, cum psittacum auxilium implorantem conspexit. — Nauta alitem e flumine eripuit et regi reportavit, qui eum pecunia large donavit.

¹ állatkert ² kis elefánt ³ rosszindulatú ⁴ születése után ⁵ ormány ⁶ cibál ⁷ rugdal ⁸ összetapos ⁹ kitöm ¹⁰ kiállít ¹¹ ujság ¹² papagáj ¹³ a csacsogó, t. i.: papagáj ¹⁴ Themse ¹⁵ a tarkaszínű (papagáj) ¹⁶ nem esett kétségbe ¹⁷ csónak ¹⁸ jajveszékelés ¹⁹ halálos veszedelem.


De Sisyph.

Certe multis vestrum nota est historia Sisyphi, filii Aeoli, regis Thessaliae.

Vir erat horrendus! Propter eius latrocinia¹ tota Attica in metu erat. Assidue vitae viatorum insidiabatur captosque saxis ingentibus superimpositis² interficiebat. Neminem amabat, nemini parcebatur.

Ceterum homo sagacissimus³ et astutissimus⁴ erat, quem nonnunquam ipsi dei consulebant, quin etiam ad epulas invitabant. Sed Aeolides benevolentia superorum male abusus⁵ est! Arcana⁶ eorum in vulgus⁷ protulit⁷ et occasione data Mortem quoque in vincula coniecit et quamdiu dei rem non animadverterunt, nemo mortalium vitam obire potuit.

Fefellit⁸ etiam patrem Plutonem, dominum Tartarorum. Moriturus uxori, ut caderet insepultum relinquere, mandavit demis-



susque ad Stygias undas Plutonem rogavit, ut sibi ad lumen⁹ superum⁹ uxoris punienda causa, cum illa iusta¹⁰ facere¹⁰ neglexisset, ire concederet. Quā veniā impetratā fraudulentus¹¹ ad regna Tartarea minime repetiit, sed longius in terra vixit. Tandem Mercurius, magni Iovis et deorum nuntius, iussu deorum vi sub umbras eum trahere coactus est.

Merito luit fraudulentus poenas aeternas in infernis.

In Tartara deiectus saxum ingens per ardua¹² montis¹² manibus pedibusque ad summum montis verticem provolvit vanā

virium contentionem, quia saxum de summo fastigio¹³ perpetuo delabitur. Hoc modo fatigatur sceleratus dies noctesque in aeternum!

1 rablás 2 föléje gördít 3 éles eszű 4 ravaasz
5 visszaél 6 titok 7 kifecseg 8 rászed 9 félvilág
10 eltemetni 11 ravaasz, t. i. Sisyphus 12 meredek hegység
13 hegygerinc, csúcs.

Claudii.

Ad fabulam Ernesti Eckstein latine scripsit
Valentinus Feher.

VII. Coniurali.¹

Nox advenerat. Gn. Afranius in triclinio a mensa surrexit. Sex viri cum eo cenam modicam² sumpserant, aetate ac dignitate dispares, sed pariter Domitiani tyrannidem oderant.

Finita cena in peristylum, inde in tablinum itur. Momus, servorum fidelissimus ante fores constitit, ne quis accedere auderet.

Cocceius Nerva sic fere orsus est:

— Idcirco, amici, convenimus, ut de rebus gravissimis ageremus. Nam audacia atque impudentia Domitiani ad extrema³ pervenisse³ videtur. Titus perditum⁴ iudicabat diem, quo nihil boni fecisset: hic autem Flavius degener⁵ perditum existimat diem, quo ius ac leges non perverterit.⁶ Audite: Iunius Rusticus, vir peritus litterarum, animo⁷ generoso⁷ praeditus, ca-

1 összeesküvők 2 szerény 3 tetőpontra hág
4 elveszett 5 elfajult 6 lábbal tipor 7 nemes gondolkozású

stus, integer,⁸ sapiens heri cruci affixus est, propterea quod Paetum Thraseam, virum a Nerone interemptum, innocentem fuisse dixerat.

— Moriatur interfector! — clamat Cinna. — Fortasse haec eadem fortuna nos omnes attinget. Deliberate, quod vobis placet: ego in expedito⁹ consilium habeo. In senatu, in foro, in theatro aut ubicunque eum invenero, transfodiam.

— Quiesce¹⁰ modo,¹⁰ carissime Cinna — ait Cocceius. — Tu es nostrum ultimus, qui ad Caesarem admitteris. Ceterum cum simus honestae causae propugnatores,¹¹ caveamus sanguinem effundere praeter necessitatem. Audiamus Afranum.

— Quod ego dicere instituo¹² — inquit Afranius, — breve est: iracundia, odium, desperatio animis omnium civium Romanorum insident. Evocemus¹³ aperte Romanos ad seditionem.

— Ne quid preepropere¹⁴ — interpellat¹⁵ Nerva; — nihil prius faciamus, quam sana mente rem deliberemus. Vehementer erras, si vulgus pro libertate pugnaturum arbitraris. Isti subrostrani,¹⁶ qui ex annonae largitione parasitantur,¹⁷ nullam habent causam, cur Caesarem metuant. Cum ego haec, amici, mecum reproto, repletur animus acerbitate et maestus desperansque futura prospicio. Extinctus est animis amor patriae; nisi mutatae res erunt, Roma superba corruet. Unum id, quo facilius triumphabimus, est exercitus; cuius dicto¹⁸ milites audiunt,¹⁸ is Romae dominatum tenet. Militum animi nobis sunt conciliandi.¹⁹ Mi fili, Ulpi, dic, quid in hac re perfeceris?

— Fatendum est — inquit Traianus — nihil me de hac re dicere posse. Octavo quoque²⁰ die pecuniae inter praetorianos dividuntur. Norbanum praefectum gratiā Domitianus auget.²¹ Quapropter nihil sum executus. Persuasum mihi est Norbanum esse virum honestum, qui salutem rei publicae pluris aestimet, quam gratiam imperatoris. Nondum eum adire potui. Opus est exspectatione.

— Constituamus id — ait Nerva, — ut post quindecim dies in hunc eundem locum conveniamus. Interea gradum²² in civitate

firmare²² temptabimus. Norbanus est omnino conciliandus. Item Aurelius sine ullo suspicionis periculo eum ad nostram causam perducere²³ studebit. Nisi res successerit, transmittemus²⁴ locum²⁵ agendi²⁵ in Galliam et tyrannidem externis viribus contundemus.²⁶

Hoc propositum omnium²⁷ consensu²⁷ probatur.

— Si nobis — inquit Nerva — fugiendum erit, Rodumnam, in Afranii patriam nos conferemus. Ibi collectis legionibus Romanos veniemus.

— Optime, egregie!²⁸ — clamat Cornelius Cinna.

— Mea triremis — ait Aurelius — ad Ostia conquiescit.²⁹ Si quid forte acciderit, in navem meam properate facileque in Galliam pervenire poterimus. Sed ut omnis suspicio tollatur, cras divulgabo³⁰ navem Traiectum esse profectam. At vero Antium navigabit ibique nos, si periculum impenderit, navem condescendemus.

— Nihil hoc prudentius excogitari potest — ait Cinna.

Coniurati cum silentio digrediuntur.

(Ad numerum proximum.)

8 széplőtelen 9 készen 10 csak nyugalom!
 11 harcos 12 akar 13 felszólít 14 csak lassan!
 15 közbevág 16 naplopó 17 elősködik 18 szavára
 hallgat 19 megnyer 20 minden 21 elhalmoz 22 meg-
 veti a lábat 23 megnyer 24 áttesz 25 működési tér
 26 megtör 27 általános helyeslés 28 helyes 29 vesz-
 tegel 29 elhíresztel.

Prior Iuventutis nostrae numerus sub praelo erat, cum funestissimum ordinis Cisterciensis nuntium de morte *Samuelis Molnár* doctoris studiorum antiquitatis peritissimi accepimus Vir, quem omnes optimi lugent, in docendis rerum antiquarum studiis, quibus a pueritiā totum se dedidit, longam et operosissimam vitam degebat. — Discipuli et amici dolore et maerore summo perciti dicunt ei ultimum vale. —



Causidicus.

Scripsit Andreas Nyáry. In Latinum convertit
Aem. Láng.

Interim Vendelinum anquisivit,¹ quocum paulisper in foro vagabatur et semihora transacta solus in cauponam redit.

Caupo fraudis imprudens Iohannem intrantem interrogat:

Obviam fuitine sponsor? Omnibus negotiis decisio² respondit Iohannes, nunc domum sum iturus.

Palpebras³ sub petaso crebro et subdole movebat.

Cedo⁴ igitur mihi, quaeso, pecuniam meam.

Caupo manum⁵ in⁵ sinum⁵ demisit⁵ et manus illinc expeditum⁶ Iohanni tradidit.

Iohannes pengones numerabat.

Constatne⁷ ratio?

Convenit⁸ ad⁸ nummum.⁸

Bene vale!

Et tu, domine valeas! Gratias tibi ago pro facilitate⁹ tua.

Nullas¹⁰ debes.

Dextras iungunt. Iohannes abit. Exeuntem Vendelinus cum feminis iam exspectat.

Quid igitur est? Habesne iam pecuniam?

Habebo, respondit hilariter et capite ad cauponam nutabat.¹¹ Redibimus ad Kopacsek et pecuniam tuam afferemus.

Caupo mensam¹² vinariam¹² abstergebat,¹³ cum senex Hungarus cum feminis in cauponam intravit.

Hui!¹⁴ — dixit crebris hospitibus arridentes — iam iterum adestis?

Iohannes aequo animo¹⁵ respondit:

Uti vides.

Afferamne vobis vinum? — interrogat caupo.

Non potatum¹⁶ venimus, sed ob pecuniam antehac ad custodiendum tibi traditam.

Caupo repente oculos in senem intendit:

Ante iam reddidi viginti quinque pengones. Iohannes ignarus aspergit cauponem:

Cui?

Tibi!

Mihi?

Sane tibi!

Quando?

Ante quartam horae partem! — Iohannes oculos in vultu cauponis defixit et voce firma interrogat:

Habesne testem pecuniae restitutae? En ego habeo istas feminas!

Feminae conclamabant: Coram nobis trudit tibi pecuniam! Audesne infitari?¹⁷

Caupo obstupefactus aliquid dicturus erat, quem autem Iohannes praevenit.¹⁸

Nisi pecuniam confessim restitues, tantum clamorem tollam, ut homines per fora et circulos de te loquantur!

Simul clam oculis signum dedit Vendelino ante passam¹⁹ ianuam exspectanti, qui statim intravit. Cum viros concitatos inter se rixantes videret, interrogavit:

Quid negoti est? — Kopacsek adventu Vendelini necopinato²⁰ male affectus esse videbatur. Ab illo re²¹ cognita porcum prolatum²² iri²² ratus, ut unum saltem malum fugeret, pecuniam Iohanni rependit eumque hisce verbis prosequitur:

Abi nunc in²³ malam²³ rem!²³ Iohannes ad affinem accessit et ecce, inquit, recipie pretium porci, viginti pengones! Reliquis quinque pengonibus utemur, ut nos²⁴ vino beemus.²⁴ Age igitur, affinis, eamus et in pace procedamus!

Feminae, cum cauponem elatae²⁵ praetereunt, tenero et molli ingressu gradum suspendentes domino Kopacsek faustā et laetā precabantur.

1 fölkereste 2 elintézése után 3 szemhéjait 4 elavult imper.: add ide! 5 zsebébe nyult 6 elővett 7 helyes-e a számadás 8 talál az utolsó fillérig 9 sziveség 10 t. i. gratias 11 intett 12 söntés 13 törölgette 14 ejnye, no lám! 15 egykedyvűen 16 ivásért 17 letagadni 18 megelőzött 19 nyitott 20 váratlan 21 helyzet, tényállás 22 előhozakodik 23 a pokolba! 24 jó napot csinálunk magunknak 25 kevélyen.

FINIS.

JOCOSA

Servus negligens.

Dominus domo exiturus calceos¹ poscit a servo. Servus affert ei calceos pulvere et luto sordidos.

Dominus ira incensus increpat servum: «Cur mihi calceos sordidos affers?»

Servus aequo animo: «Operae pretium non est² purgare eos, quoniam post duas horas iterum sordidi erunt.»

Dominus nullum verbum fecit; ipse cenavit, servo negligenti nihil cibi dedit, sumpsit calceos sordidos et domo exire voluit. Quod cum servus videret, indignabundus:³ «Domine — inquit — mihi nullam cenam dedisti!»

¹ cipő ² nem érdemes ³ méltatlankodva.

Dominus autem par pari referens:⁴ «Operae pretium non est cenam dare tibi, quoniam post duas horas iterum esuries.»

Sollers⁵ responsum.

Agricola quidam rure in urbem venit, ut nonnullos porcellos venderet. Porcellis venditis ruricola cenatum it in cauponam, ubi aliquot adulescentes urbani inter pocula⁶ hilare tempus terebant.

Caupo apponit cenam, agricola autem Deum precari incipit... Quod cum iuvenes viderent, unus ex iis cachinnum sustulit⁷ et cavillaturus⁸ his verbis hominem religiosissimum allocutus est: «Nemo est apud vos, qui ante cenam non precetur?» Cui rusticus tranquillo animo: «Sunt quidem, — respondit — sed tantum... porci!»

Alexius Czuppon.

⁴ hasonlóért hasonlóval fizet ⁵ elmés ⁶ borozás
közben ⁷ felkacag ⁸ kötekedik.

Aenigmata.

I.

PA	NOS
PA	NOS
pa	nos

II. Huius verbi: —M—O—R—O—S—U—S—litteris componenda sunt quam plurima (36) verba. Exempli gratia: mors, morsus... etc.

Paulus Farkas.

III. Pro his vocabulis contraria ponantur ita, ut primis litteris vocabulorum novorum *dictum Catonis* reddatur: supinus, odit, profectio, vendit, ignotus, fortitudo, sobrius, nescit, hebes, immemor, post.

Aenigmata Numeri V. recte dissolverunt: Sopianenses: Norb. Karg, Ioh. Frater, Iul. Vattamány, Ioh. Horváth, Lad. Pichler, Alex. Fövenyessy, Ioh. Bárka. — Veszprémienses: Ios. Albrecht, Steph. Frühbauer, Lad. Tóth, Franc. Csehi, Ios. Osvald, Laura Hardy, Ioh. Dáloki. — Budapestinenses: Maria Ember, Sarolta Komár, Sarolta Schivetz, Camilla Takáts, Edit Lehmann. — Praemium /opus Ludovici Prónay: A puszták börtönében/ Julio Vattamány obtigit. —

Solutiones aenigmatum Numeri VI. itemque nomina eorum, qui recte ea dissolverunt, in proximo numero communicabuntur.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Rector: F. Kohl.

Epiſtolia Officialia.

Ios. Albrecht, Franc. Csehi. Aliquot ex vestris temporis futuro seposui. — Norbertus Karg, Iul. Vattamány, L. Manica. Quia aenigmatis nunc abundo, vestra suo tempore promam. — Emericus Zaitschek. Libentissime totam tuam epistolam communicarem, sed in praesentia tantum, quae sequuntur: «Aestate prioris anni unum mensem Lutetiis Parisiorum egi. Nimirum omnia me delectabant, quae circa me vidi: aedificia pulcherrima, musea clarissimaque ornamenta urbis. Inter alia contemplabar etiam illud aedificium, cui nomen est: Pantheon. In vestibulo eius est quadam pictura, parieti inducta, quae Carolum Magnum repraesentat eo momento, cum corona ei imponitur. Dum picturā delectabar, subito audiebam quendam ex hominibus circa picturam congregatis historiam Caroli Magni interpretantem. Vir lingua Gallicā, mox Britannice loquebatur et inter alia haec dixit: «Carolus Magnus ab eo die, quō diadema capit eius impositum est, rex apostolicus est appellatus, imperatores autem, qui ei successerunt, hunc titulum regis apostolici semper obtinebant. Reges quoque e domo Habsburg, qui erant etiam imperatores Austriae, hunc titulum usque ad finem belli magni possidebant». Similatque haec interpretatus est, vir omnibus, qui aderant, imaginem dedit Pantheonis, notationibus adiunctam, quae de titulo regis apostolici idem ac interpres dixit, continebant.

«Non erit Tibi difficile, Domine conicere, quid senserim, cum haec audissem. O stultitiam horribilem crassamque ignorantiam rerum gestarum Hungaricarum! Quae est re vera clades nostra maxima! Quid sit faciendum, nescio, sed hanc ignorantiam historiae nostrae pessimam nobis fuisse adhuc et fore posthac certo constat. Nempe illi doctissimi interpretes nesciunt hunc titulum «regis apostolici» a pontifice summo regi nostro primo, non autem Carolo Magno — qui imperator fuit «christianissimus» — datum esse prae plus mille annis! Atqui hanc veritatem nobis abrogari nunquam concedemus, quia huius tituli donatio maximum est nobis documentum nexūs, quo regnum nostrum religioque nostra cum capite visibili Christianorum concuncta sunt»...

Macte puer, qui vindicem te nostrae veritatis tenerā iam tua aetate ostendas! Hac via etiam in futuro ad gloriam virtutis grassare! Defende iura gentis nostrae et faxit Deus, ut quo plures Hungari ad maiorem patriae gloriam hac via te consequantur!

Moderator ephemeredis: EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)